

Ante aliquot annos a Carolo Bartholdo Heinrichio, priusquam infelici suo fato Regimontium Prussorum hinc discederet, dono acceperam varias in Taciti Dialogum lectiones e codice Farnesiano excerptas, quas, patre mortuo, in scriniis eius delitescentes invenerat. Eas nactus erat Heinrichius, quantum coniecere licet, B. G. Niebuhrii beneficio, cuius singulari industriae contigisse constat, ut librum, olim Romae in bibliotheca Farnesiana asservatum, inter codices Neapolitanae bibliothecae Regiae Borbonicae reperiret. Verum cum Niebuhrius non amplius uno Aprili mense a. 1823. Neapoli degeret, vix satis ei otii ad Charisii Artem Grammaticam, cuius editionem tum meditabatur, cum anti-quissimo eiusdem bibliothecae Ms. conferendam suppetebat. Tantum aberat, ut codicis illius Farnesiani, quo iam pridem Iustus Lipsius Romae maximo libelli bono usus erat, iterum excutiendi onus sibi iniungeret. Ipse certe in litteris, quas Neapoli datas Commentarii de Vita immortalis viri Vol. II. p. 508. et 510. continent, de opera in Charisio feliciter a se posita bis loquitur; Taciti ne verbo quidem usquam fit mentio. Itaque dudum suspicabar, Niebuhrium libri Farnesiani collationem, ab Immanuele Bekkero in lucem prolatam, non sua sibi manu parasse, cum, ecce, schedulae illae eius ipsius viri docti, qui Niebuhrio mea quidem opinione operam suam commodaverat, nomen suppedi-tarent. In extrema enim collatione, quae doctam hominis Itali manum refert, haec le-gitur subscriptio: *Conferebat Neapoli Salvator Cyrillus IX Kalend: Maii.* Annum non addidit, sive oblitus, sive quod Niebuhrio schedulas coram traditurus nihil attinere re-batur. Nempe qui Catalogum codicum Graecorum Mss. Regiae bibliothecae Borbonicae Neapoli a. 1826. edidit, Salvator Cyrillus (alium enim fuisse nemo mihi persuaserit) iam inde ab anno 1822. eiusdem bibliothecae praefectus secundus erat, ut ex Frid. Blumii nostri Itin. Ital. Tom. IV. p. 29. cognovi. Ex huius igitur Cyrilli collatione, quae quin-que foliis constans, e regione textus ed. Bipontinae II., sectis paginis, codicis Farnesiani discrepantes lectiones exhibet, Niebuhrianam quam vocant collationem tanquam ex fonte ductam arbitror. Est enim inter utramque, summam si respicis, mirus lectionum con-sensus; hoc uno differunt, quod Cyrilliana multo altera locupletior est. Id ne cui frau-dem faciat et coniecturae meae fidem minuere videatur, non dissimulabo vereri me, ne Bekkerus collatione Cyrilli, quam a Niebuhrio integram procul dubio et accurate de-

scriptam acceperat, ita pro editionis suae consilio usus sit, ut non nisi ea ederet, quae memoratu digna ipsi viderentur. Utcunque res se habuit, non ingratum fore spero, si quidquid apud Bekkerum aut deest aut aliqua ratione a Cyrillo dissidet, id hac opportunitate, quam diligentissime potero, indicabo: non quo ad ea, quae aliunde de codice Farnesiano innotuerunt, novi inde mirum quiddam afferam, sed ut praestantissimi illius instrumenti critici notitia fiat certior minusque erroribus obnoxia. Sicubi lectionibus sigla *B* adscripta legitur, sciendum est, editionis eas esse Bipontinae, quas cum Cyrillus silentio praetermisisset, non iniuria Bekkerus, quamquam plerumque, ut par erat, dubitanter, codici ipsi tribuit. Quod iudicium licet in universum consensu eorum, qui codicem postea inspexerunt, satis comprobatum sit, tamen non deest, ubi virum *κριτικώτατον* ratio fefellerit. Eiusmodi lectiones asterisco notavi. Denique ne illa quidem Farnesiana, quae nimio brevitatis studio Bekkerus Ernestii annotationibus nullis cancellis seclusa inseruit, omittenda duxi, ne quis forte, unde istuc venerint, miretur.

ED. BEKK. II. p. 496, 1. sepe 3. aeloquentiae *add.* „Eloquentia semper cum diphthongo scribitur in cod.“ *Cyrillus.* 10. mihi *add.* 497, 4. caeleberrima 12. praessus 18. et *om.* 22. apprehendisti *B.* 26. Leges quid Maternus sibi debuerit et agnosces quae audisti, quod si qua misit 498, 1. recitatione *B.* 7. obmissis. „Verbum *omitto* etc. eadem orthographia scribitur, quoties occurrit in cod. ms.“ *Cyr.* 12. Graeculorum 13. aggregares *B.* 21. causarum *B.* 499, 1. mihi satis superque 5. in iis cogitationibus excusent 6. gratia *B.* 13. et ego enim. 14. inveniri non patiar? Maternum societate plurimum defendi sed ipsum 500, 8. prospere *B.* 10. loricae gladius 12. sive in iudicio *B.* * 14. qui *B.* 501, 2. aliquo *B.* 5. suam *add.* 12. orbis 14. aegressus. „Sic scribitur hoc verbum, ubicumque occurrit.“ *Cyr.* 17. coram 18. quemcunque orator induerit *B.* 502, 6. letiorem 11. foeliciter 14. tum abire non in alio oritur 15. nec codicillis *B.* 17. et in urbe nos dum apud 19. recta et indoles 503, 6. Eproprium 8. non minus esse 10. illis alterius 17. angustia *B.* 504, 4. aegraegius 5. contemptus 6. civitatis *B.* ante donec tam et quam ac *om.* 26. et tibi 505, 1. nostrum 22. genium *B.* * offitia ut quae 506, 4. penetrat medium ut per tot 17. et ante epigr. *om.* 507, 2. offendere 7. at tu ante meditatus *om.* 14. et *add.* 17. Parant enim quid me non minus diu accusare oratores quam Aper laudaverat 508, 1. Vatinii *B.* * 2. et hodie *B.* 4. deiungere 7. cuiusque 13. nec in strepitu 509, 1. abundabat *B.* 12. qui *B.* * Messalae *B.* 17. secretum *B.* * 510, 1. an ante quod timent *om.* 6. solitudinibus 7. cotidie. „Semper eadem orthographia scriptum occurrit in codice ms.“ *Cyr.* 8. fontis 9. Pallantem 16. velut stinctus. Tum Urbanus

- 511, 9. decebat, *superscripto o priori litterae c.* 15. eruditionis ac 24. Messalla
 512, 1. Antiquis eo credo audacius 10. abiisset, *superscripto absit* 11. iste enitet
 12. alius *add.* contentus *B.* 513, 2. exequemur 10. significatione *B.* 13. CCC
 annis *B.* 15. Phylippi 20. ac respectum huius evi 21. si ut *B.* 22. est *B.*
 514, 3. eodem anno *B.* 8. adscribitis 11. VII idus 13. statuæ
 novem et quinquaginta 21. se fatebatur et pugnae 22. Britanniae
 515, 14. Servio Galbae 15. vocaverimus *B.* 17. utinam in illa parte imitatus esset
 20. quoque *B.* 516, 1. qui pro Catone 4. sed *B.* 5. antiquus 15. Cassium
 quem reum faciunt 517, 9. et *ante* Apollodori *om.* 11. videtur 12. erat
 15. quom vix in cortina 518, 8. exspectabit *B.* 16. aut Turpionis aut Ambivii
 519, 10. Aequidem fatebor 12. Ganuti aut Attii *B. ** De Furnio et Coranio
 alios 520, 10. ei quo sublimius 12. sive in *B. ** 13. parte serum 14. illae *add.*
 24. temporis 522, 3. dicendi genus 6. sensus optet cum 10. laudatum
 16. vel rubigine 22. nam et haec imitatus. „Legi potest etiam *invitatus.*“ *Cyr.*
 23. ii qui se antiquos oratores vocabant 523, 1. significasse 17. gravitati
 18. et quotiens 19. ea quotiens 20. planitas est 524, 10. et a vestris
 11. Igitur exprome nobis 24. si comminus fatetur 525, 7. si vere 8. spe-
 ciem 13. sciam quanvis 15. cogitationem et sunt aliqua 23. et C. Caelium
 526, 2. nec *om.* 14. frequens sicut bis *clā* et exclamatio 15. tenere *B. **
 527, 16. apparate 18. equidem *B.* 19. paulo ante plane mitiore aeloquentia et tem-
 porum nostrorum miratus iratus 22. a prima disceptatione. Nam nec 528, 8. etenim
 iam si mihi 529, 14. et bibacitati 21. nec praeceptores 26. laboratur 31. ha-
 buerit *B.* de curiis referam 530, 4. nobis 9. Diodotum *B.* 28. ut in iis artibus
 pectus implorent 531, 4. disserimus plerumque *om.* 15. tenebit venas 22. aliquid *om.*
 apertos *pro* hi aptos 532, 1. locos. Dabunt 6. liberaliter debet *B.* 20. etiam *B.*
 533, 2. vis quoque cotidiani 16. non rhetorum 534, 4. facultate et aeloquentia 10. exer-
 citationes 16. illud 22. in civitate locum 535, 4. magnos 17. sudibus 22. praecep-
 toribus *B.* 536, 10. M. Crasso 12. deducuntur in scholas quibus *B.* 17. et dicant *B.*
 19. rhetoras 537, 7. „Post verba *ad veros iudices ventum est* leguntur in codice sequentia
 verba: *multum deficit in exemplaribus, quae reperiuntur.*“ *Cyr.* 9. flama 538, 5. proba-
 bat 16. cum testimonio quoque in publicis non absentis 18. praemia etiam neces-
 sitas et commodo disertum 20. sed contra 22. stipulabantur clientulorum *B.*
 26. vestras haec vetera, quae et in 539, 1. antiquariorum *B.* et cum maxime a
 Mutiano 3. aedita 31. adversarius eo acrior per pugnas sibi ipsas desumpserit
 540, 2. criminibus ore *B.* 3. ut secura velint 4. aptior est ita erit *om. B. **
 9. primus haec III consulatu 18. Urivae 541, 1. videtur 9. diligentis *B.*
 11. iudex quam quando, *super quam scripto s. cām.* 17. coartarent 542, 6. quo-

que om. B. 18. accepimus 19. ne B. 20. aut ullius B. 543, 3. sicuti B.
 6. nec bene formam 7. horum non emendare 10. in civitatem nostram
 544, 6. obscurior gloria 8. cum optima cito 16. vitas ac vestra tempora
 20. bono B. „Inter verba alterius utatur et finierat Maternus interest spatium punctis
 distinctum ac lacunam indicans.“ *Cyrillus.*

Haec hactenus. Nunc Dialogum ipsum percensere libet, quo nullam Taciti partem
 plures temporis hominumque iniuria maculas suscepisse, neminem latere arbitror, qui
 libellum prudentiae plenissimum et divino illius ingenio plane dignum cognorit. Quae
 vitia etsi satis magno numero excellentium criticorum cura feliciter exemerit, tamen
 nonnulla etiamnum resident, quibus remedia certatim adhibita parum aut nihil opis attu-
 lerunt. Sunt alia rursus, quae cum recta et integra vulgo habeantur, mihi quidem du-
 bium non est, quin depravata sint et corrigi possunt. Ex utroque genere iam pauca
 proferam, cetera alias, ubi videbitur.

Cap. 2. *Marcus Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos
 ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico
 adsectabar etc.* Noli dubitare, quin errore librarii turbatus sit verborum ordo. Quod vi-
 tium transponendo ita facillime sanabitur: *quos ego utrosque non in iudiciis modo stu-
 diose audiebam, sed domi quoque etc.*

C. 3. *Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsumque quem pridie re-
 citaverat librum intra manus habentem deprehendimus.* Codicum lectio est *sedentem
 ipsum quem pridie.* Unde M. Hauptius coniecit, quod hodie vulgatur. Verum ex accu-
 rate loquendi lege part. *sedentem* requirit pronomen *eum*, vel quod in Dialogo eius prope
 vicem nonnunquam subit, *ipsum*. Quare Lipsianam lectionem *sedentem ipsum et quem*
 praefeream, nisi leniori medela corrigendum videretur: *sedentem ipsum quemque.*

C. 7. *Tum mihi supra tribunatus et praecturas et consulatus ascendere videor, tum
 habere, quod si non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.* Mirum est,
 quam varia eaque partim incredibilia excogitaverint viri docti, ut ex *alio*, quod fraudem
 manifesto prodit, boni aliquid elicerent. Res tamen est eiusmodi, ut remedium non longe
 necesse sit repetere. Si enim pro *in alio*, non ita violenta mutatione facta, *in nobis* le-
 gas, optime, si quid iudico, et sententiae veritatem et sermonis urbanitatem restitueris.

Ibid. *Qui non illustres et in urbe, non solum apud negotiosos et rebus intentos,
 sed etiam apud vacuos et adolescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes
 sui?* Halmius recte ex Boettcheri coniectura scripsit *qui tam inlustres*. Sed quod idem
 post *et in urbe* excidisse *et extra urbem* statuit, vereor, ne addidamentum non magis
 Taciti manum referat, quam quod Ritterus nollem in ipsum ordinem recepisset: *et in
 cetero orbe terrarum et in urbe*. Nec vero Haasius, quo offensionis scilicet causam amo-
 liretur, satis caute *et ante in urbe* uncis inclusit. Ne multa. Lego: *Qui tam illustres*

sunt in urbe. Corruptela fluxit ex eo, quod antiquitus sunt duarum litterarum compendio *st* scribi solebat. Vid. Waltheri Lex. Diplom. p. 383, 3. Ceterum Tacitus ipse c. 12. *nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est, quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.*

C. 10. *Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocacionis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.* Quod vulgo ante *elegisse* legitur aut, cum frustra Ritterus explicare tentasset, e coniectura Haasius *hanc*, Halmius *etiam* scripserunt. Neutrum credo probari posse. Alterum enim mirum quam otiosum est, alterum ad exprimendam, quam bene Halmius perspexit, sententiam parum efficax. Corrigendum, ni fallor: *meditatus rideris ulro elegisse.* Eodem sensu ulro apud Tacitum cum alibi saepius, tum in hoc uno Dialogo ter repetitum legitur: c. 9. *ulro rogare*, c. 19. *ulro admonere*, c. 32. *ulro deridere.* Vid. Doederl. Synon. III. p. 108. 7.

C. 12. *Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur; sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.* Quis Tacitum credat *strepitu* ita nude hic posuisse, ut, quem dicat *strepitum*, intelligi nequeat? Mihi non dubium est, quin scripserit: *quod non in strepitu urbis, nec sedente etc.* Respondet nimirum Maternus ad id, quod Aper c. 9. dixerat, poetis, si modo dignum aliquid elaborare velint, relinquendam esse *urbis iucunditatem* et cetera officia deserenda.

C. 17. *Statue sex et quinquaginta annos, quibus mox Divus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet; centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas.* Excidisse ante *unius* suspicor *id est*, quod cum olim pro more una littera *i* scriptum esset, error tanto proclivior erat. Atque haec formula, de qua vid. Ruhnke ad Vell. II. 23., legitur etiam c. 3. 9. 22.

C. 26. *Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praeposterata, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.* Vulgata lectio *sed tamen frequens quibusdam exclamatio* nihil nisi commentum Beati Rhenani est, qui ex quatuor, quae in libris sine sensu legebantur verbis *sicut his clam et*, unum illud suum *quibusdam* conflavit parum feliciter. Postea alii aliter loco perquam affecto mederi aggressi sunt. Velut Ritterus hoc modo: *frequens sicut histrioni clamor et exclamatio*, Haasius:

frequens saeculi huius gloria et exclamatio. Halmius tale aliquid exspectari ait: *frequens, sicut scitis, plaudentium (vel fautorum) exclamatio.* Quibus e coniecturis quoniam nulla meo quidem iudicio ad verborum integritatem quicquam facit, tentabo, si quid melius possim. Puto igitur legendum: *frequens, ut sic dixerim, clausula et exclamatio.* In quo ne quid temere mutasse videar, ante omnia tenendum est, in codice Farnesiano non *cta*, ut apud Bekkerum est, legi, sed diserte Cyrillo testante *ctā*, quod compendium est scripturae pro *clausula*. Vid. Walther. l. l. p. 53, 4. Deinde pro *sicut* syllabarum transpositione *ut sic* correxi; *his* autem, sive quod in cod. Farnes. legitur *bis*, ex male intellecto *di* ortum est. Ita enim olim pro *dixerim* hic scriptum fuisse, eo magis adducor ut credam, quod eandem siglam non solum pro *dixi* et *dixit*, verum etiam pro *dixerunt* in usu fuisse, ex membranarum tractatione didici. Iam vero formulam *ut sic dixerim*, qua Tacitus in ipso Dialogo, ut alios locos mittam, bis c. 34. et 40. usus est, nemo non videt, insolentiori vocis *clausula* usui molliendo servire. Proprie enim *clausula* dicebatur, cum histriones, peracta fabula, a spectatoribus, ut sibi plauderent, postulabant. Vid. Casaubon. ad Sueton. Aug. 99. Hoc loco ad exclamationum genus transfertur, quo, ut histriones, ita oratores tunc temporis, quoties placuissent, ab auditoribus efferri solebant. Vix opus est, ut addam, *clausula et exclamatio* sic iuxta positus, exclamationem designari, quae, cum ad finem ventum est, tollatur. Exempla huius loquendi formae, quam Tacitus impense amat, dedit Boettich. Lex. Tac. p. LXXX. sqq.

C. 27. *Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.* Deest in codd. *dixisti*, quod Lipsius supplevit. Verum latius serpsisse ulcus suspicor nec hoc unum modo verbum hausisse. Nempe quod sequitur *plane mitior* etc., nimis hiat, quam ut in Dialogo ferri possit. Vide, num scripserit: *paulo ante dixisti, cum esses plane mitior.* Gravius laborant, quae his cohaerent: *et eloquentiae temporum nostrorum non iratus.* In codd. Farnes. et Perizon. est aequè vitiose: *plane mitiore aeloquentia et temporum nostrorum miratus iratus*, praeterquam quod cod. Perizon. *mitior eloquentia* habet. Unde Doederleinius (nam aliorum conatus longum est referre) hoc exculpit: *plane mitior et eloquentiae temp. nostr. minus iratus*, idque Haasius, praecedente Halmio, recepit. Ego corruptae lectionis vestigia mihi videor pressius sequi legendo: *plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non ita iratus.*

C. 31. *De quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum eorum, quae neque in virtutibus neque in vitiis numerantur.* Offendit in his voc. *intellectum*, quod unde pendeat, frustra quaeris. Nemo enim *cognoscere intellectum* latine unquam dixerit. Emendo: *et intellectum habet eorum.*

C. 32. *Et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum, sed Academiae spatium consecutum.* Rectissime Haasius post rhetorum inseruit officinis, sumptum illud e Cic. Orat. c. 3. *fateor me oratorem, si modo sim aut quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatium extitisse.* Unum restat vitium, quod Acidalius pridem animadvertit. Scribi enim oportet: *id se non in rhetorum officinis, sed Academiae spatium consecutum.* De neglecta iteratione praepositionis in vid. Walch. ad Tacit. Agric. c. 35.

C. 33. *Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregissem nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidia et inscientiae adversus acerrima et secundissima eorum studia demonstrasti.* En novum corruptelae exemplum, qua nihil in hoc libello frequentius. Excidit nimirum post quibus, quod iusta antithesis poscit, *artibus.* Statim enim Maternus velle se ait id quoque cognoscere, quibus *exercitationibus* iuvenes iam forum ingressuri confirmare et alere ingenia sua soliti sint. Cui Messala respondens, Quoniam initia, inquit, et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo, quibus *artibus* antiqui oratores institui erudiri soliti sint, persequar nunc *exercitationes* eorum.

C. 34. *Ita nec praeceptor deorat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret, nec adversarii et aemuli, ferro, non rudibus dimicantes: sed auditorium semper plenum, semper novum, ex invidis et faventibus, ut nec bene nec male dicta dissimulantur.* Cum in libris esset *ut nec bene dicta*, primus ex coniectura Rodolphus Agricola *nec male* addidit, quod postea in omnibus fere editionibus haesit. Nec sane loco id cedere iuberem, nisi in codicis Farnes. lectione: *ut nec breviter dicta*, quae sensu aperte caret, aliud quiddam magis reconditi latere suspicarer. In mentem venit corrigere *nec bene nec secus*: quo ipso, si quis *διὰ σημείων* olim *ñc bn' ñc sec'* scriptum meminerit, depravatae lectionis vestigia ducere, vix, opinor, diffitebitur.

C. 37. *Ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur, ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent, ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur.* Nescio an ex Latinorum usu scribendi sic reponi oporteat: *ne tanquam inertes et non suffecturi, honores aut non impetrarent* etc. Similiter Tacitus Germ. c. 13. *arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.* Videtur *honoribus*, ab homine curioso voci *suffecturi* superscriptum, mox, ut fieri solet, in textum irrepsisse, vera lectione temere sumpta.

Ibid. *Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? Plures tamen bonos proeliatos bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae condicio. Nam quo saepius steterit tanquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo maiores*

adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secreta velint. Ut nunc leguntur verba, eloquentiae exhibent prosopopoeiam, quae ultra prosae orationis modestiam est et Floro quam Tacito dignior. Nec tamen scriptoris ea culpa est, sed editorum, qui ex ingenio suo et ipsa et nobilitata reposuerunt, cum ipse cod. Perizoniani, nobilitatus Farnesiani fide nitantur. Eiusmodi videlicet remedio cavisse sibi videbantur, ne, quo utrumque referre liceret, deesset. Ego vero librariorum iniuriam iniuria scriptoris corrigi nolim. Quid igitur? Paulo ante scribendum est: *Nam quo saepius steterit orator tanquam in acie.* Ita interposita oratoris mentione, hoc simul proficitur, ut etiam proeliatore iam habeant, quocum iuste componantur. Denique in verbis postremis, quae et ipsa mutila, nec integrali a quoquam restituta sunt, mihi legendum videtur: *quorum ea natura est, ut ancipitia, non secreta velint.* Ita, inquit, homines natura comparati sunt, ut certaminibus aleae plenis delectentur, quietem ac securitatem fastidiant. *Ancipitia* pro periculosis est etiam apud Tacitum loco non absimili, Hist. II. 86. *Pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat.*